

neſis pietatis ſtudium labefactauit & reſtrinxit, maximè Cainorum delirium id potuit & effecit, quando in eo toti fuerunt Sanae ſpiritu planè impulſi, vt omnes eos damnarent qui à Scriptura honeſtum teſtimonium habent: eos autem probarent, qui ab illa reiiciuntur & damnantur. Itaque ex eorum ſunt numero, quos Spiritus ſanctus tanquam Deo obnitentes & prorsus reſiſtentes execratur, Pſalm. 62. verſu 4. Tres autem eorū hypotheſes commemorat hoc loco Auguſtinus, fuerunt tamē plures. Prima eſt blaſphemia, Quòd Cain & omnes reprobos laudant, colunt, & admirantur, veluti Eſau, Core, Abiron, Sodomitas, & Iudam ipſum Domini noſtri Ieſu Chriſti proditorem, quaſi fuerint ſalutis humanæ authores. Cain, inquit Tertullianus, magnificent, quaſi ex quadam potenti virtute conceptum. Nam Abel ex inferiori virtute procreatum volunt. Iudam proditorem defendunt, admirabilem illum & magnum eſſe dicentes propter vtilitates, quas humano generi contuliſſe iactatur. Animaduertens enim, inquiunt, Iudas, quia poteſtates mundi nolebant Chriſtum pati, vt ſalus humano generi per illius mortem pararetur, ſaluti conſulens generis hominum, Chriſtum tradidit. id quod perſpicuè cum illo Actor. Apoſtolicorum loco pugnat, qui eſt cap. 4. verſ. 28. Vnde periculosa eſt illa Gregorii Magni ſententia, qui de peccato Adami loquens ſic ait, O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem. Cerinthiani antea Iudam adorauerant, & poſt hos Marcionitæ, vt ſcribit Ireneus libro primo, capite 29. Ex hac ſententia doctrina de electione & prædeſti-

deſti-